

IACOBI DE VITRIACO
SERMONES VVLGARES VEL AD STATVS

CONSPECTVS SIGLORVM

- Tr** Trento, Biblioteca comunale 1670
R Roma, Santa Sabina, Arch. OP XIV 36
- P¹** Paris, BnF lat. 17509
D Douai, BM 503
- Cg** Cambridge MA, Harvard Riant 35
Bg Brugge, Openbare Bibliotheek 281
B³⁵ Bruxelles, KBR 3530-3531
L Liège, Bibliothèque universitaire 344 C (416, 413)
P² Paris, BnF lat. 3284
PA Paris, Arsenal 540
B³⁷ Bruxelles, KBR 3772
- Pitra *Analecta novissima*, II, 1888, p. 461 (*Serm.* 74, 351–361)

ITEM SERMO AD PVEROS ET ADOLESCENTES

THEMA SVMPTVM EX APOCALYPSI XVI:
BEATVS QVI VIGILAT ET CVSTODIT VESTIMENTA SVA,
NE NVDVS AMBVLET ET VIDEANT TVRPITVDINEM EIVS.

5 <1.> *De uirga discipline et stulticia puerorum*

<PROTHEMA:> STVLTICIA COLLIGATA EST IN CORDE PVERI ET VIRGA DISCIPLINE FVGABIT EAM.

Hiis uerbis ostendit Salomon in Parabolis XX quantum prosit pueris disciplina. Sicut enim flagello mediante
10 palea a grano excutitur, ita mediante uirga discipline a corde pueri stulticia expellitur. Ex terra enim sensualitatis que semper ex se fumum uanitatis emittit et ex suggestionem diaboli multe uane et stulte cogitationes congregantur in corde pueri. Prius enim est animalis quam
15 spiritualis, unde indiget uirga discipline. Teste enim Ambrosio “Lubrice etati non facile credi debet.” Est autem disciplina uerborum que mores informat et est disciplina uerberum que uicia castigat. Etas enim tenera magis docilis est, et facilius conuertuntur pueri quam senex.

20 <2.> *Exemplum de fratre sancti Bernardi*

Vnde cum sanctus Bernardus et fratres eius ad religionem transissent, unus solus qui puer erat remansit in seculo. Et cum quadam die uisitaturus fratres suos ad monasterium accederet, dixit ei sanctus Bernardus: “Tu
25 in seculo remanebis et totam hereditatem paternam possidebis solus. Nobis enim iam non licet aliquid in hoc seculo possidere.” Tunc puer ualde compunctus ait: “Fratres mei possidebunt celum et ego solus possidebo terram? Dante Domino non ita erit.” Et recepto habitu
30 cum fratribus suis omnibus relictis remansit.

⟨3.⟩ *Exemplum de patre sancti Bernardi*

Solus autem pater senex in seculo remanserat, qui
 conuerti non poterat sed omni die filios suos tamquam
 35 perditos lugebat. Quadam uero die sanctus Bernardus
 exiuit uidere illum. Pater autem precepit ut secundum
 morem Burgundie magnus truncus poneretur in igne, et
 cum ligna sicca et clare ardentia circumquaque poneren-
 tur, truncus ille tantum fumabat sed ardere non poterat.
 Tunc sanctus Bernardus ait: “Pater, illa ligna clare ar-
 40 dentia sunt filii tui, tu uero es truncus senex et antiquus
 et terra repletus quem filii tui, licet exemplum tibi dede-
 rint, non possunt accendere. Tu enim nichil aliud facis
 quam fumare.” Quo audito, pater commotus est ualde et
 ad monasterium accedens, habitu monachali suscepto,
 45 cum filiis suis Christi iugo ceruicem inclinauit.

Virga igitur discipline, id est rectitudine doctrine, indi-
 gent pueri. Indigent insuper uirga discipline, id est uerber-
 ibus et castigatione. Nam sicut in Parabolis dicitur XIII:
 Qui parcit uirge odit filium suum, id est ad modum odien-
 50 tis se habet; qui autem diligit, erudit et castigat illum.
 Teste autem Ecclesiastico XXII: Confusio patris est de
 filio indisciplinato. Et iterum ait XXXI: Qui diligit filium
 assiduatur illi flagella, ut letetur in nouissimo. Et ideo letari
 debetis quando magistri uestri animas uestras uerberant
 55 castigando et increpando per uerba, uel quando corpora
 uerberant affligendo et coercendo per uerba.

⟨4.⟩ *De malis pueris qui uerberibus non castigantur*

Quidam autem mali pueri uerberibus non emendantur,
 sed deteriores redduntur. Vnde quando scripti sunt ad
 60 uerberandum dicunt: “Ex quo ita est quod uerberari de-
 bemus, ludamus satis et recedamus a scolis, ut uerba
 nostra bene mereamur et pro nichilo non uerberemur.”
 Alii autem magistros suos ualde odiunt dum ab eis incre-
 pantur et eis clam maledicunt, similes cani nequam qui
 65 quando panis in ore eius ponitur, mordet manum illius
 qui pascit eum. Et puer iniquus quandoque mordet ma-
 millam matris, ita quod sanguinem elicit.

Vos igitur, karissimi, cum mansuetudine et humilitate recipere debetis increpationem doctrine et orare Dominum ut mediante uirga discipline stulticia a cordibus uestris hodie expellatur.

⟨THEMA:⟩ BEATVS QVI VIGILAT etc.

⟨5.⟩ *De insidiis diaboli et quod innocentes libentius peruertere desiderat*

75 Diabolus numquam dormit sed semper uigilat, semper insidiatur et tamquam leo rugiens circuit, querens quem deuoret. Auidius autem appetit cibos delictos, id est animas innocentium, sicut Pharaon pueros masculos interficere precepit et Herodes innocentes occidit. Sicut enim
80 qui mordet in pomo non ex parte putrida sed in parte saniori dentes figit, ita diabolus animas sanas et non putridas glutire concupiscit. De corpore etiam putrido non curat, sed animam preciosam uorare desiderat dicens, Genesis XIII: Da michi animas, cetera tolle tibi.
85 Vigilare igitur debetis contra fures infernales, ne auferant uobis uestem innocentie, candidum scilicet uestimentum quod in baptismo suscepistis.

⟨6.⟩ *De decibus diaboli et de punctis deciorum*

Diabolus autem habet tres decibus quibus fere omnium
90 hominum uestimenta lucratur. Primus est concupiscentia carnis, cuius puncta sunt uisus et alloquium, contactus, basia, factum, et alia que ad explendam carnis uoluptatem pertinent.

Sicut autem fraudulentus aleator uel hystrio quando
95 ludit ad talos cum rustico, primo sinit eum lucrari ut attrahatur, sed postmodum totum lucratur et rusticus omnia perdit et spoliatur, ita diabolus modo sustinet quod modico tempore uoluptates nostras expleamus, ut tandem corpus et animam perdamus.

100 Alius decibus est concupiscentia oculorum siue auaricia, uel cupiditas terrenorum, cuius puncta sunt rapina,

usura, furta, periuria, fraudes, mendacia et consimilia que proueniunt ex concupiscentia rerum terrenarum.

105 Tercius decius est superbia uite, cuius puncta sunt uana gloria, iactantia, inuidia, ira, elatio mentis ex pulcritudine corporis, uel fortitudine, uel aliqua dignitate, uel ex consanguineis, uel ornatu corporis, uel ex diuiciis et consimilibus que ad superbiam pertinent uel ex ipsa superbia oriuntur.

110 Caueamus igitur nobis ab hiis decius et diligenter custodiamus uestimenta nostra, ne a lusore infernali spoliemur et nudi appareamus.

(7.) De uestimentis anime custodiendis et de mundicia carnis et contra luxuriam

115 Vestimenta quidem anime sunt uirtutes que animam ornant et muniunt. Vestimentum etiam anime est corpus nostrum. Vnde Iob X: Pelle et carnibus uestisti me. Hoc uestimentum mundum et immaculatum seruare debetis. Huiusmodi enim uestimento rex celorum indui uoluit,
120 quando corpus humanum assumpsit, ad Philippenses II, et habitu inuentus est ut homo. Magnus autem honor est seruo, quando uestimentum habet de eodem panno quo dominus eius. Valde igitur honorare debetis hoc uestimentum, id est corpus uestrum quod in baptismo sanctificatum fuit et Domino consecratum. Non igitur sanguine
125 peccati de cetero inquinetur, quia, teste Ysaia IX, Vestimentum concretum sanguine erit in combustionem et cibus ignis gehennalis.

Non igitur corpora uestra luto luxurie inquinetis, sicut
130 quidam stulti et bestiales adolescentes qui cum mulieribus coinquantur et florem uirginitatis sue, quem usque ad matrimonium conseruare debuerunt, meretricibus offerunt. Licet enim uxorem non habeas, si semel cum muliere etiam non coniugata commiscearis, ita mortaliter
135 peccas, quod si in hoc peccato decedas et moriaris, numquam de cetero faciem Dei uidebis. Si omnes angeli qui in celo sunt pro te orarent et omnes sacerdotes qui sunt in mundo missas celebrarent pro te, nichilominus
140 et tam diu eris in inferno quam diu Deus erit in paradiso.

⟨8.⟩ *Exemplum de pueris ludentibus et quod transitoriam uoluptatem sequitur pena eterna et de malis que proueniunt ex meretricibus*

145 Sicut autem accidere solet pueris ludentibus quod, postquam multum in circuitu ambulauerunt, turbati cerebro subito in terram cadunt, sic peccator dum in circuitu ambulat et recta uia non incedit, ducit in bonis dies suos et in puncto ad infernum descendit, unde numquam poterit exire.

150 Mundus autem senex est et inueteratus dierum malorum et excreans sordes uitiorum totus fetet. Miseri tamen fetidum et putridum libenter osculantur et pro transitoria uoluptate uera et eterna bona amittunt.

155 Ecce quantum detrimentum prouenit ex uilissima meretrice, que pute nominatur, quia putet et fetet coram Deo et mundo, et frequenter accidit quod qui ad eam accedunt leprosi efficiuntur. Nam ipse passim cum omnibus et cum leprosis commiscetur et sicut hodie exposuit se tibi, ita cras exponet se fratri tuo uel alii consanguineo, et ita non solum simplicem fornicationem incurris sed uicium incestus committis. Vnde Dominus per Amos ait II: Filius et pater eius ierunt ad puellam, ut uiolarent nomen sanctum meum. A Christo enim christiani dicuntur. Vnde falsi christiani qui pactum baptismi non obseruant, nomen Christi uiolare reputantur. Sicut autem asinus plus delectatur esse in stabulo quam in palacio, plus inter carduos quam inter rosas, plus in fimo quam in orto, ita luxuriosi plus diligunt fetorem prostibuli quam odorem paradisi.

170 ⟨9.⟩ *Qualiter diabolus ducit peccatores de malo in peius*

175 Et sicut puer ductor ceci quo uult potest ipsum ducere, ita diabolus hominem peccatis execatatum ducit ad uoluntatem suam, tamquam proprium iumentum ducens de taberna ad prostibulum, de prostibulo ad ludum deciorum, de ludo ad furtum, de furto ad patibulum, de patibulo ad infernum. Sic incedit quem diabolus ducit.

(10.) Contra pueros qui ludunt ad decios et que mala proueniunt ex ludo deciorum

Vidimus enim quosdam pueros qui primo discebant
 180 ludere cum uno decio, deinde cum duobus, tandem cum
 tribus, et quia a parentibus non castigabantur, tandem
 ex praua consuetudine ad hoc deueniebant quod, omni-
 bus quecumque habebant amissis, fiebant latrones et
 tandem suspendebantur. Vnde in Prouerbiis XXIX: Puer
 185 qui relinquitur proprie uoluntati confundit matrem suam.

(11.) Quod pueri non debent esse ociosi, sed aliquod artificium seu ministerium addiscere et de malis que proueniunt ex ocio

Debent enim parentes filios cohercere et non eis frena
 190 laxare sed aliquod honestum officium seu ministerium
 docere, artes scilicet liberales uel mechanicas quibus
 occupati et intenti, non ita habeant materiam euagandi
 et, postquam adulti essent, de huiusmodi ministerio pos-
 sent sustentari. Ecclesiasticus XXXIII: Multam quidem
 195 maliciam docuit ociositas, et multi egestate compulsi
 aliena rapiunt, cum alias non habeant unde uiuant. Mul-
 tos quidem uidi adolescentes et pueros qui nolebant
 laborare et uolebant manducare, sicut murilegus qui
 libenter comedit pisces sed non uult pisces capere uel
 200 pedem aquis madefacere.

(12.) Contra clericos qui nolunt addiscere

Quidam autem pueri ad scholas uadunt et addiscere
 nolunt, sed illitterati remanent et trutani. Nichil autem
 uilius quam clericus illitteratus. Hii sunt ociosi et ribaldi
 205 qui nolunt studiis mentem applicare, sed magistris suis
 munera tribuunt ut ualeant euagari et uersus suos dato
 precio faciunt fabricari.

In eadem autem dampnatione sunt qui fabricant et qui
 fabricare faciunt, et simili pena digni sunt qui causa eua-
 210 gationis munera tribuunt et qui accipiunt. Immo magis
 peccant magistri qui cupiditate corrupti pueros proprie
 uoluntati relinquunt quos cohercere debuerunt.

⟨13.⟩ *Quod parentes castigare debent filios et contra tabernas*

- 215 Similiter et parentes non mediocriter peccant qui filios suos cohercere negligunt, sed prostibula et tabernas frequentare permittunt. Taberna quidem lacus est diaboli, in quo oriuntur putei fetidi et lutosi, uidelicet ebrietas, castrimargia, luxuria, blasphemie, ludi deciorum, furta, 220 fraudes, iurgia, homicidia et consimilia. Taberna spelunca est latronum et prostibulum meretricum, synagoga Iudeorum

⟨14.⟩ *Contra blasphemos*

- in qua Christus maledicitur et blasphematur, Daniel III, 225 cum tamen Nabugodonosor, licet gentilis, edictum fecerit quod quicumque blasphemaret Deum celi morte moreretur. Vnde christiani blasphemii deteriores sunt gentilibus et Iudeis.

230 ⟨15.⟩ *Exemplum de puero quinquenni qui Deum blasphemabat et quod pueri non debent nominare diabolum*

- Vnde narrat Gregorius de quodam puero quinquenni qui Dei maiestatem blasphemare consueuerat et parentes non castigabant eum. Dum pater eius ipsum egrotantem in sinu teneret, malignis spiritibus aduenientibus, 235 puer tremens clamare cepit: "Obsta, pater, nigri homines ueniunt qui me tollere uolunt." Illis autem instantibus puer more solito nomen Dei blasphemare cepit et statim animam in manibus demonum tradidit, nec excusatus est propter puericiam, malicia supplente etatem.
- 240 Caueant ergo pueri ne Deum uel sanctos eius blasphement, nec diabolum nominent, sicut quidam quando irati sunt diabolum nominant, uel etiam seruientes aut socios suos nomine diaboli uocant.

(16.) *Exemplum de illo cui diabolus corrigias caligarum
245 soluebat*

Vnde iterum refert beatus Gregorius quod quidam seruo suo stulte loquens ait illi: “Veni, diabole, discalcia me.” Et statim sensit quod caligarum corrigias diabolus cum magna celeritate dissoluebat, et quia nominauit
250 diabolum ipsum, qui semper in insidiis est, inuenit paratum.

(17.) *Exemplum de ribaldo qui Christum uolebat negare
sed beatam Virginem negare nolebat*

De quodam alio audiui qui cunctis que habebat cum
255 deciis amissis cepit desperare et blasphemare Deum atque inuocare diabolum. Et cum accessisset ad quendam Iudeum magum, dixit ei Iudeus: “Nega Christum et matrem eius et sanctos, et ego faciam quod plura habebis quam ante habuisti.” Ille respondit Iudeo: “Deum et
260 sanctos eius negare possem, sed piissimam eius matrem nullo modo negarem.” Quo audito Iudeus iratus expulit eum. Cum autem quadam die ante ymaginem beate Virginis transiret, ymago quasi gratias referens illi inclinauit, et hoc quidam diues homo qui erat in ecclesia
265 uidit. Cum autem alia uice ante ymaginem transiret, iterum ymago inclinauit illi, predicto diuite hoc uidente et ualde ammirante, et uocato illo, qui nudus erat et quasi ribaldus incedebat, ait illi: “Que sunt hec mirabilia quod ymago illa bis inclinauit tibi?” Cui ille respondit: “Nescio
270 quare hoc fecit. Pessimus enim peccator sum et omnia bona paterna luxuriose uiuendo et cum deciis ludendo amisi.” Cui diues: “Quomodo potest hoc esse? Fecisti umquam aliquod seruicium beate Marie?” At ille: “Nec Deo nec illi seruiui.” Et tandem recordatus ait: “Quidam
275 Iudeus uoluit me facere diuitem, si negarem beatam Virginem, sed malui pauper remanere quam illam negare.” Et ualde compunctus diues ait: “Bene fecisti.” Et filiam suam cum multis diuiciis dedit illi, et ita, beata Maria procurante, longe ditior factus est quam Iudeus eum
280 facere uoluisset.

Ecce quam bonum est seruire beate Virgini et ipsam honorare et non blasphemare eam uel uituperare, sicut faciunt lusores deciorum et quidam nequissimi homines.

⟨18.⟩ *Contra iuramenta et mendacia*

285 Caueatis igitur ne aliquis sermo malus ex ore uestro procedat. Quidam enim sunt qui pro nichilo reputant iurare uel mentiri. Sapientie I: Os autem quod mentitur occidit animam. Nam sicut luxuria corrumpit castitatem, ita mendacium corrumpit ueritatem. Nonne magnum est
290 obprobrium cum dicitur homini: “Tu mentiris”? Et ualde irascitur propter turpitudinem peccati quod ualde solebant uitare antiqui.

Vnde Ecclesiasticus XX: Obprobrium nequam in homine mendacium. Et subdit XX: Mores hominum mendacium sine honore. Quasi dicat: “Quoscumque alios bonos mores habeat, si mendax est, perdit honorem.”
295

⟨19.⟩ *De uicio mendacii a pueris euitando*

Vnde hoc peccatum ualde debent pueri et adolescentes uitare, quod non diminuitur etate crescente. Qui enim
300 mentiri consueuerunt, uix aut numquam a mendaciis abstinebunt. Conseruetis igitur os uestrum mundum et omnia membra uestra. Apocalypsis XVI: Beatus enim qui custodit uestimenta sua, ne nudus ambulet et uideant turpitudinem eius, quod non solum de spirituali
305 uestimento sed de corporali est intelligendum.

⟨20.⟩ *Quod pueri honeste se debent habere et membra pudibunda uelare et contra pueros qui sibi inuicem coniunguntur, licet nondum luxuriam ualeant adimplere*

Quidam enim pueri turpiter et inhoneste se habent
310 coram omnibus se nudantes et turpia membra ostendentes, non solum peccando in uisu sed in tactu, sicut quidam pueri pessimi et indisciplinati qui licet opus luxurie nondum ualeant explere, sibi tamen inuicem turpiter coniunguntur, non solum in sexu dissimili sed in consimili
315 li, masculi cum masculis et femine cum femineo sexu

turpitudinem operantes. Vnde quosdam uidimus qui ex hac pessima consuetudine, postquam adulti facti sunt, non poterant abstinere et facti sunt sodomite atque hostes nature. Quarto Regum V: Postquam enim puella
 320 capta a latrunculis, id est ratio a primis motibus captiuata, fuerit in obsequio uxoris leprosi, id est carnalis concupiscentie uel sensualitatis, Genesis II, fiunt duo in carne una, id est ratio et sensualitas, dum ratio quasi in carnem conuertitur et a carne absorbetur.

325 *<21.> De consortio malo fugiendo et quod non debent pueri tangere uel osculari mulieres*

Fugiatis igitur consortia prauorum puerorum qui uos incitant ad malum. Sicut enim dens putridus ab ore extrahitur ne alii corrumpantur, ita a consortio uestro illos
 330 debetis eicere qui uos ad peccandum uolunt inducere et animas uestras occidere.

Nolite igitur tangere uel osculari adolescentulas, sed fugiatis ab eis quasi a facie colubri. Numquid mulierem osculari formidares, si collo eius uel ori serpens aut buffalo adhereret? Diabolus enim circa collum mulieris est,
 335 dum illud ostendit ut homines attrahat, et lingua eius uiperea, dum blanditur ut uenenum infundat.

<22.> De confessione statim facienda post peccatum

Custodite igitur uestimenta uestra, ne nudi ambuletis. Quod si forte inquinastis illa, statim ad confessionem curratis et aquis lacrimarum abluatis. Recens quidem macula facilius abluatur; pannus, si immundiciam contraxerit et non cito abluatur, corrumpitur et putrescit. Vnde Naum in fine: Propter immundiciam suam corrumpetur
 345 putredine pessima. Quidam autem sicut Absalon, secundo Regum XIII, semel in anno tunduntur, quia tantum semel peccata confitentur, sed statim capilli crescere incipiunt, quia statim ad peccata redeunt et ita sacerdotibus illudunt.

350 <23.> *Exemplum de confessione renardi*

Hec est confessio uulpis que solet in Francia appellari confessio renardi. Cum enim debuisset suspendi et taxus duceret eum ad curiam leonis, facta confessione de omnibus peccatis, eodem die uidit gallinas iuxta domum cuiusdam hominis et taxo ait: "Illa est uia qua incedere debemus, scilicet iuxta domum illam quam uidemus." Cui taxus respondit: "Miser, hodie confessionem michi fecisti de omnibus peccatis tuis, et confessus es quod multas gallinas deuorasti, et promisisti Deo in manu mea quod de cetero abstineres." Cui renardus ait: "Verum dicis, sed ego tradideram obliuioni."

<24.> *Contra illos qui statim facta confessione redeunt ad peccata*

Memini cum quadam die confessiones quorundam iuuenum audirem et iniunxissem eis penitentiam de eo quod aliorum segetes uastassent et ab alienis uineis uuas furtim asportassent, unde oportebat eos satisfacere et dampnum restituere, ipsi statim, facta promissione quod de cetero abstinere et ablata restituerent, trans-euntes iuxta uineam que erat prope ecclesiam racemos tulerunt et cum clamarem post eos fugerunt.

Immo de quodam audiui qui una manu, dum absolueretur, ante sacerdotem pectus tundeat, et uidens bursam sacerdotis plenam denariis alia manu illam absceidit.

375 <25.> *Exemplum de puero nequam et lacrimoso*

Quidam autem ad tempus ab actu peccandi cessant et postmodum feruentius ad uomitum reuertuntur, similes cuidam malo et lacrimoso puero qui, cum diu clamando plorasset, ad tempus tacere cepit. Illi autem qui in domo erant, gaudentes dixerunt: "De cetero pacem habebimus. Nam puer ille quiescit qui nos ualde molestabat et nos dormire non sinebat." Quod audiens nequam puer ait: "Ego fatigatus eram et parum quiesco, ut postea magis ualeam clamare. Numquam permittam uos quiescere."

(26.) Exemplum de cane proditore et contra illos qui solo timore confitentur et contra illos qui se excusant

Plures autem quando infirmantur timent et confitentur, sed postquam sanati sunt deteriores quam prius efficiuntur, similes cani proditori qui quando timet blanditur cauda, quando non timet mordet. Alii autem cum se accusare deberent, in quantum possunt se excusant, dicentes: "Non feci; et si feci, non malefeci; aut si malefeci, non multum malefeci; et si multum malefeci, ignoravi; aut si non ignoravi, per alium feci."

Vos autem non fecte neque irrisorie, quotienscumque caditis, ad remedium confessionis statim curratis. Teste utique Ecclesiastico XXVII: Qui reuelat secretum alterius fidem perdit. Bonum est ergo per confessionem secreta diaboli reuelare, ut nos pro proditoribus habeat et de cetero secreta sua nobis non committat, quia non seruauimus ei fidem.

(27.) Exemplum de illo qui peccata scripsit et sacerdos cedulam uacuam inuenit

Vt autem Dominus quanta sit uirtus confessionis ostenderet, contigit in Francia quod quidam clericus cum uellet peccata confiteri, ita copiose flebat coram sacerdote quod non poterat loqui. Cui sacerdos ait: "Fili, scribe peccata tua et affer michi." Cumque ille scripsisset et sacerdos legisset, ait: "Volo habere consilium cum meo superiori." Aperta autem carta coram episcopo suo, nichil nisi cartam uacuam inuenit. Et reuersus ad clericum ait: "Confide, fili, dimissa sunt tibi peccata tua. Ecce carta tua uacua et omnia deleta inueni."

(28.) Exemplum de illo qui peccatum suum confessus est in maris periculo

De quodam alio audiui quod, cum esset in magno periculo maris et haberet quoddam turpissimum peccatum quod numquam pre uerecundia uoluerat confiteri, timore mortis, cum sacerdotem non haberet cui confiteri posset, cunctis audientibus qui in nauis erant peccatum

illud manifestauit. Et statim cum tempestas cessasset, nullus in nauis fuit qui peccatum illud ad memoriam reuocasset.

425 <29.> *Exemplum de illo qui peccata sua confessus est diabolo*

Nichil autem est quod tantum dampnum faciat diabolo sicut uera confessio. Vnde legimus quod cum quidam enorme peccatum commisisset et illud confiteri non auderet, tandem imminente mortis articulo habuit uoluntatem confitendi. Diabolus autem timens ne illud confiteretur sacerdoti, transfigurauit se in speciem sacerdotis et dixit homini illi: "Ecce tu grauiter infirmaris, fac confessionem tuam ut salutem consequaris." Facta autem confessione dixit diabolus: "Istud peccatum ualde turpe est et abhominabile et multos scandalizare posset. Iniungo tibi ne de cetero alicui sacerdoti confitearis illud." Mortuo autem illo homine allegabat diabolus quod animam habere deberet, eo quod homo ille numquam sacerdoti peccatum confessus fuisset. Bonus autem angelus e contrario dicebat quod bona et simplex intentio hominem illum saluare debebat, maxime cum dolus diaboli non debuit eidem patrocinari. Dominus autem iudicauit pro illo homine et iussit animam ad corpus redire, ut confessionem faceret et de peccato penitentiam ageret.

445 Maxime igitur debetis confessionem diligere, amplecti et frequentare, ut si uestimenta uestra amisistis uirtute confessionis ea recuperare possitis, auxiliante Domino nostro Ihesu Christo qui est benedictus in secula seculorum. Amen